

tibus Legatis, & quem rescidit S. Leo, non poterat dicere: *Visum est Spiritui S. 2.* Esto, Pontificem teneri assentiri definitis a Concilio generali, eo absente; non inde sequitur, quod sit illi inferior, sed quod Concilium recte definit. Sic Concilium Ephesium tenebatur assentiri definitis a Concilio Niceno, nec tamen ideo erat illi inferius.

Inst. 2. Est de fide, quod Concilium generale sit infallibile; & non est de fide, quod summus Pontifex sit infallibilis; atqui auctoritas, quae est de fide infallibilis, potior est ea, quae non est de fide infallibilis: ergo auctoritas Concilii est potior & superior auctoritate Pontificis. R. iterum argumentum currere in eadem falsa hypothese: Concilium namque, quod secundum fidem est infallibile, est Concilium Oecumenicum cum suo capite Romano Pontifice, de quo non procedit quaestio; non vero Concilium se junctum a suo capite, de quo procedit quaestio: constat enim plura Concilia, se juncto capite, errasse, ut Ephesium II. Chalced. & Ariminense. Insuper infallibilitas non arguit necessario superioritatem: nam S. Joannes erat infallibilis in fide, & tamen auctoritatis Lini & Cleti summ. Pontificum, quorum temporibus vivebat & scripsit Apocalypsim, subiebat; quamvis hi Pontifices, juxta Adversarios, essent in fide fallibiles.

Inst. 3. Summus Pontifex est filius Ecclesiae; atqui filius est inferior matre: ergo. Respondet Pius II. in Bulla Re-tractationis data ann. 1463. quod, *Etsi Ecclesiae filius sit propter regenerationem; propter dignitatem tamen Pater habetur. Et, sicut filiationis causa debet ipse Ecclesiam venerari tanquam Matrem; ita & Praelationis causa praefertur ei ut Pastor gregi, Princeps populo, Rector familiae.*

Inst. 4. Ecclesia potest eligere Pontificem: ergo & illum deponere. R. N. Conseq. Quia per Electionem fit caput & superior Ecclesiae, in quem proinde Ecclesia non habet jurisdictionem, nec potestatem coactivam: sic Capitulum potest eligere Episcopum, illud autem semel electum non potest deponere.

Inst. 5. Secundum Jura potest deponi Pontifex simoniace electus: ergo. R. N. Conseq. Quia Pontifex simoniace electus non est verus Pontifex, cum electio simoniaca sit nulla: modo tamen non sit acceptus ab universa Ecclesia; hoc enim casu acceptio Ecclesiae supplet defectum electionis, ut dicitur art. seq.

Obi. 6. Ab inconvenientibus. Non est credibile, Deum destituisse Ecclesiam omni remedio in extremis; atqui id contingeret, si Pontifex non subiecerit Concilio: 1. Si Pontifex esset noxius Ecclesiae, eamque vellet subvertere. 2. Si sit captivus. 3. Si sit amens: in his enim casibus nullum videtur remedium nisi in Concilio, quod possit Papam deponere: ergo. R. N. Min. Ad 1. casum: si nitatur subvertere Ecclesiam in fide, cum tunc sit manifeste haereticus, hoc ipso exiit a Pontificatu; & requiritur tantum declaratio Ecclesiae, ut denegetur ipsi obedientia, sicut diximus antea. Si autem aliter sit noxius Ecclesiae, quidam respondent fideles posse vi armorum illi resistere, absque eo quod ideo amittat superioritatem: sic dum iniuste invasus a suo superiore, illi resistit, invadens non amittit ideo superioritatem. Sic iterum si Rex Galliae, qui nullum agnoscat superioritatem in temporalibus, vellet Regnum subvertere, possent populi vi armorum illi resistere, nec tamen ideo amitteret dignitatem Regiam. Respondet S. Th. (In 4. d. 10. q. 2. a. 2. q. 3. ad 2.) *Recurrendum esse ad Deum, qui eum emendet, vel de medio subtrahat.* Vel dicendum, quod cum Deus speciali providentia regat & conservet suam Ecclesiam, non permittet, sicut hic usque non permisit, hunc casum evenire; aut si permittat, non deest in subministrandis mediis & auxiliis opportunis. Ad 2. casum Pontificis captivi: fient ab Ecclesia ad Deum preces, sicut fiebant pro Petro, dum detinebatur captivus ab Herode; nec interim desinet esse Pontifex, aut poterit deponi a Concilio: sicut Rex Galliae captivus non desinit ideo esse Rex, nec deponi potest a populis. Ad 3. casum: si Pontifex sit perpetuo amens, censetur mortuus; est enim amens revera mortuus quantum ad vitam rationalem; sicque Ecclesia sibi providere poterit de alio Pontifice. Interea vero in hoc & precedenti casu non desinet Ecclesia, sed servabit infallibilitatem fidei passivam. Quod si occurrant controversiae de fide, vel moribus, poterunt Episcopi, vel Concilium definire; sed definitio non habebit ullam & absolutam firmitatem, donec confirmetur a Pontifice sequente, ut jam diximus & dicemus.

ARTICULUS IX.

Utrum sit de fide, Pium VI. esse summum Pontificem.

Hae quaestio nata est & facta celebris in eunte saeculo superiori, cum quidam in Hispania, praesentientes, Clementis VIII. iudicium fore contrarium suis opinionibus, quae tunc Romae examinabantur, ut pararent sibi viam ad illud declinandum, propositis publicis Thesis defenderunt, non esse de fide Clementem VIII. esse Petri Successorem; quarum Auctores jussit incarcerationi summus Pontifex; & inde contrarium etiam in publicis Thesis cepit Romae propugnari. Nullus est inter Catholicos, qui non certo teneat, Pium VI. vel quemcumque alium actu sedentem, esse summum Pontificem; sed diverso gradu certitudinis. Quidam tenent, id certum certitudine morali tantum, quidam certitudine Theologica; alii & communius, quibus subscribimus, certitudine fidei.

Ad cuius ultimae sententiae intelligentiam revocanda sunt, quae scripsimus Dissert. de Ecclesia art. 7. §. 3. in 2. Resp. ad Obj. 1. Id dicitur de fide, quod est revelatum. Dupliciter autem aliqua veritas a Deo revelatur, 1. immediate in se, ut haec, *Deus est unus & trinus; Christus est homo.* 2. mediate in alio: & hoc iterum dupliciter; velut effectus in causa, seu proprietatis in essentia; ut haec, *Christus est risibilis*, revelata est in hac; *Christus est homo*, ut proprietatis in essentia, seu effectus in causa. Vel ut pars in suo toto, ut haec, *Petrus est mortalis*, in hac, *omnis homo est mortalis*; vel, *David peccavit in Adam*, in hac, *omnes peccaverunt in Adam*; vel haec, *Christus est mortuus pro me*, in hac, *Christus est mortuus pro omnibus*. Quae revelantur mediate ut effectus in causa, seu ut proprietatis in essentia, non sunt objectum fidei, sed assensus Theologici tantum; quia effectus in causa non continentur formaliter, sed virtualiter dumtaxat. Quae autem revelantur ut partes in toto, sunt objectum fidei; quia partes non sunt solum virtualiter in toto, sed formaliter, & veritas propositionis universalis per se petitur ex veritate propositionum particularium, quae in ipsa formaliter continentur; in tantum enim propositio universalis est vera, in quantum propositiones particulares, quae continentur, sunt verae, v. gr. ideo verum est, quod omnes homines sunt mortales; quia verum est, quod iste & iste homo sit mortalis. Unde eo ipso quod revelatur propositio universalis, revelantur etiam omnes propositiones particulares, siquae ad idem fidei lumen pertinent: seu eodem fidei habitu attinguntur. His notatis,

Dico: Probabilius videtur, esse de fide, Pium VI. esse summum Pontificem. Prob. 1. ex praenotatis: haec propositio universalis: *Omnis homo, acceptus ab universa Ecclesia in Petri Successorem, est summus Pontifex*, est de fide; atqui haec particularis: *Hic homo Pius VI. acceptus ab Ecclesia universa in Successorem Petri, est summus Pontifex* continetur, in priori generali tanquam pars in toto: ergo est etiam de fide. Major a nullo Catholico negatur: cum enim sit revelatum, & de fide, Christum instituisse Ecclesiam usque ad consummationem saeculi duraturam, pariter est revelatum, & de fide, quod successor Petri, quem fundamentum, caput, & summum Pastorem instituit, iisdem privilegiis gaudet. Min. est evidens; partes enim hujus propositionis universalis: *Omnis homo acceptus ab universa Ecclesia in Petri Successorem est summus Pontifex*, sunt; & iste ab Ecclesia acceptus in Petri Successorem est Pontifex. Consequentia denique constat ex praenotamine; quia, ut dictum est, particularis formaliter contenta in generali de fide, est etiam de fide. Confirm. haec propositio: *Hoc Concilium Tridentinum acceptum ab Ecclesia pro Oecumenico est Regula fidei*, est de fide; quia continetur ut pars in toto in hac generali de fide: *Omne Concilium, acceptum ab Ecclesia pro Oecumenico, est regula fidei*: ergo à pari de Pontifice.

Dices: Ista propositio particularis: *Hic homo Pius VI. acceptus ab Ecclesia in Successorem Petri, est summus Pontifex*, non continetur in hac generali: *Omnis homo, acceptus ab Ecclesia universa in Successorem Petri, est summus Pontifex*, nisi supponendo, quod Pius VI. fuerit rite electus; atqui non est revelatum, nec de fide, quod fuerit rite electus, sed hoc scitur tantum ex testimonio hominum. Sit paritas: est de fide, quod omnis hostia rite consecrata sit adoranda; non est

DE REGULIS FIDEI.

tamen de fide quod haec hostia sit adoranda, quia non est de fide, quod sit consecrata. R. N. Maj. Haec enim suppositio non habet locum in casu nostro, neque pro propositione generali, neque pro particulari: quia cum Ecclesia sit infallibilis in acceptanda fidei regula, ut modo dicam, fuerit rite facta, vel non electio Pontificis, hoc ipso quo Ecclesia illum acceptat, est verus Pontifex, & fidei regula, suppletque Ecclesiae acceptio defectum, qui potuit irrepere in electione. Et si quidam Canones videantur dicere oppositum, intelligendi sunt de electione ante acceptationem Ecclesiae. Unde est disparitas de hostia: Ecclesia enim non declarat, hanc hostiam esse consecratam, adeoque contineri sub universali, sicut in actu exercito declarat Pium VI. esse acceptatum ab Ecclesia in Petri Successorem, sicut contineri sub universali. Insuper, cum consecratio hujus hostie sit quid particulare non pertinent ad regimen universae Ecclesiae, non esset infallibilis Ecclesia in hoc declarando, nec ejus declaratio posset suppleri defectum consecrationis. Ut autem propositio particularis, contenta in generali de fide, sit quoad nos de fide, debet nobis certo constare, eam contineri in generali de fide.

Repones: Satis non constar, hunc hominem Pium IV. esse Petri Successorem, & Pontificem, nisi ex hoc discursu humano: *Omnis homo, acceptus ab Ecclesia in Petri Successorem, est summus Pontifex; atqui Pius VI. est acceptus ab Ecclesia in Petri Successorem: ergo est summus Pontifex*; atqui assensus, seu cognitio veritatis, quae innititur discursui humano, non est fidei: ergo. Item Minor hujus syllogismi non est de fide: ergo nec Conclusio; quia, secundum Dialecticos, conclusio sequitur debiliorem partem. R. D. Min. assensus veritatis, quae innititur discursui humano, ut causa moventi ad assentiendum, non est fidei, C. Quae innititur discursui humano, ut causa applicanti motum assentiendi, seu ipsam revelationem, non est fidei, N. non repugnat ergo cognitioni, seu assensui fidei, quod supponit aliquem discursum, non tantum motivum, propter quod praebatur assensus, sed per quem revelatio universalis applicatur huic particulari subiecto, ut patet in hac propositione, *David in Adam peccavit*, quae licet sit fidei, indiget tamen, ut credatur, hoc discursu: *Omnes posteri Adam in ipso peccaverunt; atqui David est ex posteris Adam: ergo peccavit in Adam*. Iste discursus non est causa, seu motivum, propter quod credo Davidem in Adam peccasse, sed est tantum applicatio hujus revelationis universalis: *Omnes in Adam peccaverunt*, huic particulari subiecto, nempe David: & ista revelatio est motivum, cur credam Davidem peccasse. Ita in nostro casu, ad id quod additur de Regula Dialectice: R. hanc Regulam non habere locum in discursu modo applicativo; quia propositio universalis, quae ponitur in Majori, non est causa propositionis particularis, quae ponitur in conclusione; cum, ut dictum est, propositio universalis nihil aliud sit, quam omnes particulares: minor autem naturae hae, *David est ex posteris Adam*, est tantum applicatio majoris universalis, & ejus applicatio ad hoc determinatum subiectum. Unde, si propositio universalis sit de fide, non obstante Majori naturali, conclusio particularis, in Majori contenta ut pars in toto, erit etiam de fide.

Prob. 2. Conclusio. De fide est, quod Ecclesia errare non possit in acceptanda fidei Regula; atqui acceptando hunc hominem in summum Pontificem, eum acceptat ut fidei Regulam: ergo de fide est, hunc hominem, quem acceptat in Pontificem, esse verum Pontificem. Min. est certa. Prob. Maj. Si Ecclesia errare posset in acceptanda fidei Regula, errare posset in acceptandis definitionibus ab hac incerta Regula emanatis; sicut, si erraret, posset in declarando aliquo libro Canonico, aut in acceptando aliquo Concilio Oecumenico, errare posset adherendo contentis in isto libro, vel rebus definitis ab isto Concilio; sicque Porre inferri posset adversus illam pravalerere: ergo. Confirm. De fide est, Ecclesiam, in quo sumus, esse veram, & Catholicam Ecclesiam; atqui non est vera, & Catholica Ecclesia, quae non est unita legitimo suo capiti: ergo hoc ipso quo Ecclesia acceptat hunc hominem in Pontificem, & caput cui unitur, est de fide, quod sit Pontifex, & caput Ecclesiae. Neque refert, quod Ecclesia possit esse sine capite; praesto enim est remedium in electione novi capitis. At si habeat caput fictum, quod ignorat, nullam superest remedium; non potest enim sibi de illo providere, & ficto subeanti, atque definiti parere tenetur.

Praeter jam solutas instantias, Obj. Non est revelatum in Scriptura, nec in Traditione, Pium VI. esse summum Pontificem: ergo. R. D. Ant. Non est revelatum immediate in se, C. mediate in suo toto, N. Solutio pa-

tet ex probat. Conclusionis. Instar in paritate cum Concilio Tridentino.

Inst. 1. Non est revelatum, nec de fide, quod Pius VI. sit baptizatus, & mas: ergo nec quod sit summ. Pontifex. Prob. Conseq. Pius VI. non potest esse summ. Pontifex, nisi sit baptizatus, & mas; ergo, si non sit revelatum, quod sit baptizatus, & mas, non est revelatum, quod sit Pontifex. R. N. Conseq. Ad probat. N. Conseq. Ex hoc enim, quod aliquid sit revelatum, non sequitur, quod debeat esse revelata quaecumque sunt necessario cum illo connexa: quin imò in hoc consistit Theologicus discursus, quod versetur circa ea, quae necessario connectuntur cum revelatis, sic v. gr. quod Christus sit homo est revelatum, & quia risibilitas est necessario connexa cum homine, inde inferitur, quod Christus sit risibilis certitudine Theologica, sed non fidei. Jam autem in casu, revelatio spectat tantum personam acceptatam in Pontificem, non conditiones ad illi requisitas, sed ex revelato, consecutione, & certitudine Theologica inferuntur. Unde, cum ante acceptationem Pii VI. in Pontificem, esset tantum moraliter certum, quod esset baptizatus, jam nunc post acceptationem est certum certitudine Theologica. Sit paritas. Definitio lata a Concilio, quod Ecclesia acceptat pro Oecumenico, est revelata, & pertinet ad fidem; ad eam necessario praerquiruntur, quod res definita fuerit prius maturo examine diligenter discussa, & quod Judices sedentes fuerint veri Episcopi: neutrum tamen est revelatum, nec de fide; sed quia est de fide, quod Ecclesia errare non possit in acceptando Concilio Oecumenico, & definitio ejus non possit esse falsa, inde inferitur ut certum certitudine Theologica omnia necessaria adfuisse, & discussionem sufficienter fuisse adhibitam, & Judices, sedentes in numero competenti saltem, fuisse veros Episcopos.

Inst. 2. Cui negaret, Pium VI. esse Pontificem, non esset haereticus: ergo non est de fide, R. D. Conseq. Non est de fide certo, C. Probabilius, N. Seu ut alii dicunt; est de fide, sed non est de fide, quod sit de fide; sicque non est de fide Catholica, & obligans, quod tamen requiritur, ut quis negando sit haereticus. Haeresis enim consistit in pertinacia in negando id, de quo certum est de fide in Ecclesia, quod pertineat ad fidem.

Inst. 3. Quod semel est de fide, semper est de fide; atqui intra centum annos non erit de fide, quod Pius VI. fuerit summ. Pontifex: sicut non est certum nunc, quod defuncti Pontifices fuerint summi Pontifices: ergo neque nunc est de fide, quod Pius VI. sit Pontifex. R. D. Maj. Quod est semel de fide semper est de fide quoad se, C. quoad nos, N. Multa enim tempore Christi fuerunt de fide quoad nos, quae non sunt modo. Ratio est, quia nihil est de fide quoad nos, nisi proponatur ab Ecclesia, ut ad fidem pertinet. Quamvis autem nunc proponat, Pium VI. ut summum Pontificem, & caput Ecclesiae tanquam ad fidem pertinens; non sequitur, quod intra centum annos proponat ut quid ad fidem pertinens, quod fuerit summ. Pontifex, sicut nunc non proponit alios Pontifices defunctos, quia id non est necesse ad regimen commune Ecclesiae. Quid enim facit ad regimen praesens, & bonum commune Ecclesiae scire, quot, & qui fuerint olim Pontifices? Id autem noscimus tantum ex testimonio humano, cui potest subesse falsum. Quidam excipiunt casum, quo Ecclesia proponeret credendum aliquod dogma definitum a tali defuncto Pontifice; videtur enim, quod hoc ipso proponeret, eum fuisse Pontificem, & fidei Regulam, sine quo dogma, ab ipso definitum, non foret fidei definitum credendum.

Inst. 4. Semper erit verum, Ecclesiam proposuisse Pium VI. ut Pontificem: ergo si ex praesenti propositione nunc sit de fide quoad nos, quod sit Pontifex, semper erit de fide, quod fuerit summ. Pontifex. R. D. Ant. Semper erit verum, Ecclesiam proposuisse Pium VI. ut Pontificem, & hoc semper constabit ex principiis fidei, quae sunt Scriptura, Traditio, & Ecclesiae determinatio, seu propositio. N. Ant. Et non semper sic constabit, C. Ant. & N. Conseq. Quia, sicut diximus, ut aliquid sit de fide quoad nos, debet nobis constare ex Ecclesia determinante, & proponente tanquam revelatum in Scriptura, vel Traditione.

Quod posset opponi de fabula Papisae, late expositum, & solutum est in Tract. de Ordine Digress. 2. ad Dissert. 3.

DISSERTATIO V.

DE CONCILIIIS GENERALIBUS.

Concilium, dicitur vel a consulendo, vel a considerando, vel a concurrendo in eandem sententiam, significat eorum, seu congregationem; unde comitia Regni, vel Provinciae possunt dici Concilia: sed hic quaerimus de Concilio in rebus Ecclesiasticis, & Religionem spectantibus. Potest definiti: Congregatio Ecclesiasticorum, praesertim Episcoporum, legitima auctoritate convocata ad statuendum, quae spectant Religionem, moresque Christianorum. Usus Conciliorum habemus ex Apostolis. Etenim Act. 1. Concilium celebratum in electione S. Matthiae: aliud Act. 6. in Electione 7. Diaconorum; aliud Act. 15. in causa legalium; & aliud, cujus non meminit Lucas, in quo Symbolum fidei ediderunt, antequam in universam terram dispergerentur. Estque probabile, institutionem esse Divinam, tum ex illo Matth. 18. Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum: tum quia verisimile est, Apostolos vel ex precepto Christi, vel ex speciali motione Spiritus S. sua Concilia celebrasse.

Quadruplex solet distingui Concilium, Diocesanaum, Provinciale, Nationale, & Generale. Diocesanaum est, quod ab Episcopo celebratur cum Clero suae Diocesis. Provinciale, quod celebratur ab Archiepiscopo cum Episcopis suae Provinciae. Nationale, cui adsunt omnes Archiepiscopi, & Episcopi unius nationis, convocati a Principe, vel Patriarcha. Generale, quod dicitur etiam Oecumenicum, & Plenarium, est ceteris Episcoporum, a summo Pontifice ex toto orbe Christiano convocatorum, & cui ipse summus Pontifex per se, vel per legatos praesidet: & de illo est praesens Dissertatio. Quandoque Nationale, aut etiam Provinciale dicitur Generale, sed cum addito, hujus scilicet Nationis, seu Provinciae.

ARTICULUS I.

Cujus sit convocare Concilium Generale.

Dico: Solius est summi Pontificis certi, & indubitati, convocare Concilium generale. Est in terminis S. Th. qui Opusc. 19. contra impugnantes Religionem c. 4. dicit: SS. Patres in Conciliis congregati nihil sit stare possunt, nisi auctoritate Romani Pontificis interveniente, sine qua etiam nec Concilium congregari potest. Et 2. 2. q. 1. a. 10. in argum. sed contra: Hujusmodi Synodus (generalis) auctoritate solius summi Pontificis convocari potest, ut habetur in Decreto Dist. 17. cap. Synodus, & cap. Regula.

Prob. 1. Julius I. Ep. ad Orientales apud Soeratem l. 2. c. 13. dicit: Canon Ecclesiasticus vetat, ne decreta absque sententia Romani Episcopi Ecclesiis sanciantur, sed, ut legit Cassiodorus in Hist. tripart. non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari. Refertur cap. Regula cit. Huncque canonem a Nicena Synodo renovatum scribit Synodus Alexandrina Ep. ad Felicem Papam. Pelagius II. Ep. l. c. 1. ad Episcopos, qui non convenerant ad convocationem Joannis Constantinopolit. dicit: Multis denud Apostolicis, & Canonis, atque Ecclesiasticis instrum. regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari Refertur cap. Multis D. 17. In Concilio Chalced. Act. 1. Dioscorus prohibitus est sedere inter Episcopos; quia, inquit Patres, Synodus ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicae, quod nunquam licuit, nunquam factum est. Septima Synodus Act. 6. reprobat Concilium Iconoclastarum sub Constantino Copronymo, quia celebratum fuerat sine auctoritate Romani Pontificis. Unde auctor 1. p. q. 36. art. 2. ad 2. scribit, quod auctoritate Romani Pontificis etiam antiqua Concilia congregabantur, & confirmabantur.

Si dicas ex his sequi, quod nec Diocesana, aut Provincialis Concilia possint nisi a Romano Pontifice convocari, praesertim cum cap. Nec licuit eadem D. 17. Pelagius II. dicat, nec Synodum particularem sine auctoritate Sedis Apostolicae licere celebrare; consequens autem non admittitur: ergo. R. quod Jura, & ipsimet Pontifices concedunt, imo jubent Episcopos, & ipsimet Pontifices particula Concilia celebrent, sicque non sine eorum auctoritate celebrant. Caput Non licuit loquitur de Synodis particularibus congregatis contra universalem Synodum:

patet ex rubrica, quae sic est: Absque Apostolica Sedis auctoritate Synodum particularem contra universalem aliquibus congregare non licet. Et apud Ivonem, Anselmum, & Polycarpum verbis Gratiani additur, Ad iudicandum universalem Synodum. Unde annotatio Gregoriana monet, textum Gratiani corrigendum esse ex Ivone, Anselmo, & Polycarpo. Idque satis aperte innuit textus ipse Gratiani verbis sequentibus: Quoties aliqua de universali Synodo aliquibus dubitatio nascitur. &c.

Prob. 2. Illi soli competit jus convocandi Concilium generale, qui habet curam totius Ecclesiae, & auctoritatem in Episcopos convocandos; atqui is est Romanus Pontifex, ut patet ex Dissert. praeced. ergo. Maj. etiam constat; quia Concilium generale spectat universam Ecclesiam; & sine auctoritate in Episcopos, qui compellantur comparere Concilio, frustranea, & impotens foret convocatio. Confirmatur: Solius est Episcopi convocare Synodum Diocesanaum, solius Archiepiscopi convocare Synodum Provinciale, solius Regis convocare comitia generalia Regni; atqui non minor est, imo major est auctoritas Pontificis in universam Ecclesiam, quam Episcopi in Diocesim, Archiepiscopi in Provinciam, & Regis in Regnum: neque ulli alteri, quam summo Pontifici competit haec auctoritas in universam Ecclesiam: ergo.

Dixi in conclusione: Certi, & indubitati Pontificis; quia in causa schismatis, in quo forent dubii Pontifices, ut tempore Concilii Constantiensis, posset Ecclesia per suos Praelatos convocare Concilium ad succurrendum praesenti necessitati, nimirum, ad providendum sibi de certo Pontifice. Quod si ulterius aliquid deficiat in materia fidei, & morum, aut in his, quae spectant universam Ecclesiam, non erit ratum, & firmum, nisi a sequente Pontifice confirmetur: ut jam antea diximus.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Concilia Orientalia, ut plurimum convocata fuerunt auctoritate Imperatorum: ergo. Prob. Ant. Constantinus M. convocavit Concilium Nicenum, ex Euseb. l. 3. de vita Constantini c. 6. Socrate l. 1. c. 6. & Theodoro l. 1. c. 11. Constantinus convocavit Concilium Sardicense ex eodem Theodoro l. 2. c. 4. Theodosius senior convocavit Constantinopolitanum l. ex eodem Theodoro l. 5. c. 9. Theodosius junior convocavit Ephesinum ex Evagrio l. 5. c. 3. Martianus Imperator Chalced. ex S. Leone Ep. 43. ergo. Antè responseionem observandum est, quod, quamvis non sit idem auctoritas, & consensus, attamen in eo, qui habet auctoritatem aliquid faciendi, in illud consentire sit ejus auctoritate fieri. Unde, cum sit penes solum Pontificem auctoritas convocandi Concilia generalia, ut probatum est, idem est respectu illius praebere consensum convocationi Concilii, ac illud per alium convocare. Hinc ad objectionem R. nullum Concilium ex Orientalibus convocatum fuisse, sine saltem assensu summi Pontificis, consequenter sine ejus auctoritate. De Niceno probabimus ex 6. Synodo, & ex Rufino, Digressione I. Historica ad Dissert. prooem. de Deo Trino, vide ibi textus. Sardicense convocatum jussu Julii Papae, colligitur ex S. Athanasio Ep. ad Solitarios, in qua scribit: Episcopus Romanus jussu Synodum fieri, ubicumque vellemus, & ex Socrate l. 2. c. 16. ubi refert, quosdam Episcopos non praesentes Concilio absentiae suae causam attulisse temporis constituti angustiam, culpamque in Julium retulisse; quod est apertum signum, Julium indicisse Concilium, & tempus illud celebrandi praefixisse. Quantum ad Constantinop. I. non fuit Oecumenicum, nisi ex post facto, ut sit prolixè explicemus in Tract. cit. de Trinit. Digress. II. Hist. Sect. III. vide diligenter. De Concilio Ephesino, convocatum fuisse ex assensu Caelestini, probavimus ex prologo Digress. I. Hist. Dissert. IV. de Incarnat. Sect. III. Item Chalced. convocatum fuisse a S. Leone, invidet probavimus ibid. Digress. II. Hist. Sect. III. Require in utroque loco.

Inst. 1. In S. Synodo Constantinop. IV. anno 869. Vicarii Orientalium sedium dixerunt: Scitis, quia in praeteritis temporibus Imperatores erant, qui congregabant Synodos, & ex toto terrarum orbe ad dispositionem hujusmodi cau-

sarum colligebant. R. Imperatores praeteritis temporibus convocasse Concilia, non summo jure, sed assensu & dispensatione summi Pontificum, ita ut Concilium ab Imperatore, vel alia quacumque potestate seculari, nunquam habuimus fueri legitimum, & Oecumenicum, nisi postquam accessit consensus Romani Pontificis.

Inst. 2. Ipsimet Pontifices saepe ab Imperatoribus petierunt, ut vel indicerent, vel iudici permitterent Concilia: sic Liberius petiit a Constantio: ergo. R. id petiisse Pontifices ab Imperatoribus, non quod non haberent potestatem convocandi Concilia, sed quod plerumque hanc potestatem exercere non possent absque consensu Imperatorum, sive quia Imperatores favebant Haereticis, & saeviebant in Catholicos, ut contigit Constantio Ariano: sive quia, cum tunc Ecclesia nullius urbis, aut Provinciae haberet dominium, necesse erat, ut Imperatores aliquem locum concederent ad celebrationem Concilii, & Episcopi ad Concilium commeanibus, quorum plures erant pauperes, necessaria in victu & vecturis providerent: sive tandem, quia L. Conventicula C. Tit. de Episcopis & Clericis, cautum erat, ne conventus fierent absque licentia Principis; quod etiamnum viget in pluribus Regibus.

Obj. 2. Act. 6. de 12. Apostolis dicitur: Congregaverunt multitudinem Discipulorum; quibus verbis significatur non ad solum Petrus, sed ad omnes Apostolos pertinuisse convocare Concilium: ergo pariter id non pertinet ad solum Papam, sed ad omnes Episcopos. R. N. Assumptum; ex eo enim quod Petrus cum undecim convocaverit Concilium, non sequitur, quod convocatio non fuerit facta principaliter auctoritate Petri, qui erat illorum caput: sicut, si nunc Papa convocaret Concilium cum Cardinalibus, non sequitur, quod convocatio non fieret principaliter auctoritate Papae.

ARTICULUS II.

Qui sint de jure vocandi ad Concilium generale?

Dico: Soli Episcopi sunt de jure vocandi ad Concilium generale. Prob. 1. Il soli sunt de jure vocandi ad Concilium generale, qui habent jurisdictionem, non solum in foro interiori, sed etiam in foro exteriori Ecclesiastico; atqui soli Episcopi habent hujusmodi jurisdictionem: ergo. Min. constat: non enim Laici, cujuscumque sint conditionis, aut dignitatis, etiam Imperiales, habent jurisdictionem in foro exteriori Ecclesiastico, cum sit spiritualis: neque inferiores Clerici ut Curati; patet ex usu, & quia non sunt primarii & proprii Pastores, sed tantum, ut inquit Auctor 2. 2. q. 184. a. 6. ad 2. Habent tantum aliquas subadministrationes sub Episcopis, quas ad nutum limitant Episcopi. Prob. Maj. in Conciliis generalibus non solum definiuntur simpliciter controversiae circa fidem & mores & causas privatas Episcoporum, sed etiam decernuntur poenae, & compelluntur contumaces obtemperare definitionibus & sententis prolatis; haec autem pertinent ad forum exterius Ecclesiae: ergo.

Prob. 2. ex usu Ecclesiae, quae non solet nisi Episcopos de jure vocare ad Concilia generalia. Unde illud celebre dicitur Theodosii & Valentiniani Imperatorum Epist. ad Synodum Ephesinam, in ejus actis inserta: Nefas est qui sanctorum Episcoporum Catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis & consultationibus se immiscere. Item illud Synodi Chalced. Mitte foras superfluos, Concilium Episcoporum est.

Dixi: de jure; quia quandoque ex privilegio summi Pontificum vocantur Abbates & Generales Ordinum cum jure suffragii decisivi, idque non incongrue, ut scilicet representantes suos subditos, ex priori privilegio a jurisdictione Episcoporum exemptos. Vocantur etiam Theologi & Canonista, non cum jure suffragii decisivi, sed ut res fidei & Ecclesiae inquirent & examinent, & sensus suos Patribus Concilii referant. Item quandoque vocantur Imperatores, non ut res Ecclesiae definiant, sed ut Concilium defendant & adjuvant, atque Decretorum sint testes, & ea libentius, ac efficacius mandant executioni, atque rebelles poenis coercant.

Dices 1. Act. 15. ad Concilium Jerosolymit. in quo agebatur de causa legalium conveniunt Apostoli & seniores: ergo non solum Episcopi. R. per Seniores, phrasi in novo Testamento usitata, non significari etatem, sed dignitatem Ecclesiasticam, ut jam alibi observavimus: & quamvis incertum sit, quae dignitas Ecclesiastica, an Episcopalis, an Presbyterialis tantum, hic significetur; probabile est tamen designari illos, qui erant non solum Pres-

byteri, sed etiam Episcopi, & qui per accidens negotiorum causa reperiebantur tunc Jerosolymis; quia in fine ejusdem capitis de Paulo dicitur, quod praecipiebat custodire praecipua Apostolorum & Seniorum. Sed & nihil vetat, quominus simplices Presbyteri potuerint adesse Concilio, sive ad consultandum, sive etiam ad definiendum, non de jure, sed ex privilegio ipsis a Petro concessio.

Inst. Ibidem post priora verba legitur: Placuit Apostolis & Senioribus cum omni Ecclesia: ergo non solum Episcopi, & Presbyteri, sed etiam Laici aderant cum jure suffragii. R. N. Conseq. Haec enim verba non spectant Definitionem & Decretum Concilii; dicitur enim, cum de Decreto ageretur: Conveniuntque Apostoli & Seniores videre de verbo hoc, & postea tacuit omnis multitudo; sed spectant electionem eorum, qui mittendi erant Antiochiam cum Paulo & Barnaba ad deferendum Decretum Concilii. Nihil autem obstat, quominus haec electio plebi placuerit, aut etiam, si vis, a plebe facta sit; sed missio, quae est auctoritatis, facta est ab Apostolis.

Dices 2. Ex Regula Juris 19. in 6. Quod tangit omnes, ab omnibus debet approbari: ea autem, quae aguntur in Conciliis generalibus, tangunt omnes: ergo omnes debent vocari. Unde Ambros. Ep. 32. dicit, causam fidei coram populo esse agendam: Veniant, inquit, si qui sunt, ad Ecclesiam; audiant cum populo. R. N. Conseq. Non enim sensus Regulae est, quod id, quod tangit omnes, debeat ab omnibus, id est, singulis & singillatim approbari, sed sufficit, quod approbetur ab illis, qui omnes, seu communitatem representant. Sic leges Regni tangunt omnes cives; non est tamen necesse, quod a singulis probentur, sed sufficit, quod approbentur a supremo Senatu, qui omnes cives representat: Concilium vero generale omnes fides representat. Ad textum Ambrosii, non refertur integre; subdit enim S. Praxul: Non ut quisquam iudex residet, sed unusquisque de suo affectu habeat examen, eligat quem sequatur. Quibus verbis Ambrosius excludit populum a iudicio publico & definitivo, & concedit tantum ipsi iudicium privatum, unicuique pro se; quia, cum Imperator esset Arianus, non poterat plus obtinere. Nec ibi agebatur de Concilio generali, sed de disputatione cum Auxentio Episcopo Ariano, quam Imperator volebat fieri in suo Palatio, & Ambrosius in Ecclesia: Si tractandum est, inquit S. Doctor, tractare in Ecclesia didici, quod majores fecerunt mei. Si conferendum de fide, Sacerdotium debet esse ista collatio.

Petes 1. Quis Episcoporum numerus requiratur ad Concilium generale? R. 1. Non requirit, quod omnino totius orbis Episcopi adsint. Patet, tum ex usu; nullum enim fuit celebratum Concilium, cui omnes totius orbis Episcopi adessent: tum quia alias impossibile foret celebrari Concilium generale, cum semper aliqui Episcopi, sive propter infirmitatem, sive propter senectutem, alias causas, adesse non possent. R. 2. Non requiritur certum Episcoporum numerum; quia id neque ex Scriptura, neque ex Traditione, neque ex usu habetur, cum in Conciliis generalibus, huc usque habitis, modo plures, modo pauciores fuerint Episcopi. R. 3. Requirit, quod convocatio auctoritate summi Pontificis facta innoscatur omnibus, saltem majoribus Provinciis, & nullus ex toto orbe verus Episcopus non excommunicatus excludatur; sed aliqui ex majori parte Provinciarum adsint. Sic tamen, ut si Concilium celebraretur in Oriente, plures ex Oriente adsint, & aliqui ex Occidente, qui alios representent; & e converso, si celebraretur in Occidente, patet ex praxi Ecclesiae in anterioribus Conciliis. Neque dicitur Concilium generale ex eo, quod omnes corporaliter adsint, sed ex eo, quod omnes adsint representative, ut fit in Comitibus generalibus alicujus Regni, quibus non est necesse, quod omnes omnino jus suffragii habentes corporaliter intersint; sed sufficit, quod plures ex praecipuis Provinciis, alios representantes, adsint.

Petes 2. utrum Episcopi in Concilio sint verè Judices, an Consiliiarii tantum? R. ut jam prius dixi, non esse tantum Consiliiarios, sed verè Judices, gaudentes jure suffragii decisivi, subordinatos tamen summo Pontifici.

Prob. 1. Apostoli in Concilio Jerosolymit. Act. 15. fuerunt veri Judices. Dixerunt enim: Visum est Spiritui S. & nobis. Et Jacobus sub his verbis sententiam dixit: propter quod ego iudico. 2. Episcopi in Conciliis subseribunt: ego N. statuens, vel, ego N. definius subscripsi. 3. Potestas ligandi & solvendi annexa est Episcopatu, qua non spoliatur Episcopi in Concilio congregati. 4. Quia alioquin satius esset convocare ad Concilia viros doctos, quam Episcopos indoctos. Nec refert, quod summi Pontifices

soleant dicere, *Sacro approbante Concilio*, vel, *De Fratrum nostrorum consilio*; quia equidem Episcopi & approbant & consilium dant, sed id non solum præstant, verum etiam judicant cum Pontifice. Dicit Pontifex: de eorum consilio, & non iudicio; quia consilium ab eis accipit, sed non iudicium, nec iudicandi potestatem, quam a solo Deo habet.

Dicit: *Subordinatos tamen summo Pontifici*; quia summus Pontifex sedes in Concilio, non ut simplex Præses, sed ut Princeps: Principi autem subordinantur Iudices in Senatu. Quapropter, sicut Rex præsidens in Concilio civili potest, si sua auctoritate uti velit, non sequi majorem partem iudicium, sed illorum iudicium irritare; sic Pontifex non tenetur sequi majorem partem Episcoporum iudicantium in Concilio; sed potest, sua auctoritate utens, illorum iudicium, dùm a veritate deviant, irritare, sicut irritavit Concilium Ephesinum II. Ariminense, & Canonem 28. Concilii Chalced.

ARTICULUS III.

Cujus sit præsidere Concilio generali?

Dico: Solius summi Pontificis est præsidere auctoritative Concilio generali per se, vel per suos legatos. Prob. 1. Illius est auctoritative præsidere Concilio generali, cuius est præsidere toti Ecclesie, quam repræsentat Concilium generale; atqui solius est summi Pontificis præsidere auctoritative toti Ecclesie, cuius nimirum est caput, Pastor, & Princeps, ut patet ex Dissert. præced. ergo. 2. Illius est præsidere Concilio generali, cuius est illud convocare, ut patet in Concilio Diocesani, Provincialibus, & Nationalibus; atqui solius est Pontificis convocare Concilium generale, ut probatum est a. 1. 1. ergo. 3. Si tempore Christi celebrata fuisset Synodus, Christus absque dubio illi præfuisset: ergo id eius Vicario competit.

Prob. 4. ex usu & praxi Ecclesie. Nullum hæc usque celebratum fuit Concilium generale, cui non præseserit summus Pontifex per se, vel per suos legatos: ergo jus præsidendi Ecclesie constanter in eo agnovit. Prob. Ant. Et quidem de Conciliis Occidentalibus perspicuum est, & a nemine negatur. De Concilio Niceno probavi in Tract. de Deo Trino Digress. I. Histor. ad Dissert. proem. Sect. 1. Conclus. 2. Osium Cordubensem, Victorem, & Vincentium Presbyteros Romanos illi præseserit nomine S. Sylvestri. Quantum ad 2. Concilium generale Constantinopolitanum I. ostendimus ibidem Digress. IV. hist. Sect. 1. non fuisse Generale, nisi ex post facto. Concilio Ephesino 3. generali nomine Celestini summi Pontificis præseserit S. Cyrillus, Arcadium & Projectum Episcopos, & Philippum Presbyterum, probavimus Digress. I. hist. ad Dissert. IV. de Incarnat. Sect. 3. Conclus. 2. Concilio Chalcedonensi generali 4. præfuerunt nomine S. Leonis Paschiasius & Lucenius Episcopi, Bonifacius & Basilus Presbyteri, ut probatum manet ex Digress. 2. hist. ad Dissert. 4. de Incarnat. Sect. 3. Conclus. 2. In Concilio 5. generali Constantinop. II. in causa trium Capitolorum Vigilius Papa, instanter a Concilio rogatus ut præseseret, renuit: agnovit ergo saltem in eo Concilium jus præsidendi, quo uti noluit. Vide quæ dixi in Dissert. 4. hujus Tract. art. 7. §. 4. Concilio 6. generali Constantinop. III. in causa Monothelitarum præfuerunt nomine Agathonis Theodorus & Georgius Presbyteri, & Joannes Diaconus, ut probavimus Digress. hist. ad Dissert. 18. de Incarnat. Sect. 3. Conclus. 2. Concilio 4. generali Nicæno II. in causa Iconomachorum, nomine Adriani I. præseserunt Petrus Archipresbyter S. Petri & Petrus Abbas S. Sabæ, ut ferunt Acta Concilii. Unde Nicolaus Papa scribens ad Michaëlem Imperatorem, dicit: *Quasi nos & ipsi in Nicæa collecta Synodo nostra fides præseserit.* Concilio generali 8. Constantinopoli. IV. contra Photium præfuerunt nomine Adriani II. Donatus Ostiensis & Stephanus Nepesinus. Constat. 1. Quia in Actis semper primi loquuntur & subscribunt. 2. Quia Adrianus in Epist. ad Basilium Imperatorem, quæ lecta fuit actione I. dicit: *„Volumus per vestre pietatis industriam illic (Constantinopoli) numerosum celebrari concilium, cui nostri quoque missi præseserint, &c. 3. Quia Actione 10. legati Adriani sic subscribunt: Ego. N. locum obtinens Domini mei Adriani summi Pontificis & universalis Papæ, omnia quæ superius leguntur, huic sanctæ & universali Synodo præsesens, usque ad voluntatem ejusdem eximii Præsulis promulgavi, & manu propria subscripsi. Imperatores autem sic subscribunt: Basilus, Constantinus, & Leo perpetui Augusti in Christo Dei fideles Principes Roma-*

norum & magni Imperatores, sanctam hanc Synodum suscipientes, & omnibus, quæ ab ipsa definita & scripta sunt, concordantes subscripsimus.“

Dices 1. Non legitur in Scriptura, Petrum præseserit Concilio Apostolorum: ergo. R. 1. N. Conseq. Non enim omnia scripta sunt. 2. N. Ant. Nam Act. 1. in Concilio pro Electione S. Matthiæ, Petrus ut Præses loquitur: *„Exurgens Petrus in medio Fratrum dixit: viri Fratres, oportet impleri Scripturam, &c. Et cap. 15. in Concilio de observatione legalium dicitur: Cum magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos, viri Fratres, &c. Unde S. Cyrillus Alexandr. apud S. Th. in opus. contra errores Graecorum cap. 68. dicit, quòd Augustinus Petro, tanquam Dei locum tenenti, darent locum in omni Capitulo & Synagoga; in omni electione & affirmatione.“*

Dices 2. Imperatores sæpe dicuntur præseserit Concilio: ergo. R. D. Ant. Imperatores sæpe dicuntur præseserit Concilio loco & honore, C. Auctoritate & potestate, N. vel dicuntur præseserit ad antequam Concilium & servandum ordinem, C. Ad definiendum & statuendum in rebus fidei & Ecclesie, N. Require plura locis superius citatis.

ARTICULUS IV.

Utrum Concilium generale sit infallibile in definiendis Questionibus fidei & morum?

Dico: Concilium generale, legitime congregatum & confirmatum a summo Pontifice, est infallibile in definiendis Questionibus fidei & morum. Prob. 1. Iis omnibus, quibus probavimus Dissert. 3. art. 5. Ecclesiam universam sive credentem, sive docentem, non posse errare; est enim Concilium generale ipsa universa Ecclesia representativa. Unde de Concilio, sicut de Ecclesia, intelligendæ sunt Scripturæ Matth. 16. *„Porte Inferi non prævalebunt adversus eam. Ibid. 28. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Ibid. Docete omnes gentes. 1. Tim. 3. Ecclesia Dei columna & firmamentum veritatis. Matth. 18. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnolcus & Publicanus. Joann. 14. ego rogabo Patrem & alium Paraclætum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum Spiritus veritatis. Ibid. Ille vos docebit omnia & suggeret vobis omnia quæcumque dixerit vobis.“* Item omnia, quæ protulimus ibid. de Ecclesia ex Patribus & a ratione, hic applicanda sunt.

Prob. 2. Ex iis omnibus, quibus probavimus infallibilitatem summi Pontificis; quia, si Concilium a summo Pontifice confirmatum errare posset, sequeretur, quòd ipse Pontifex erraret, confirmando definitiones erroneas. Prob. 3. Si Concilium generale a summo Pontifice confirmatum errare posset, nihil haberemus certum & firmum in Ecclesia, cum iudicio talis Concilii Generalis non detur majus & certius. Item omnes hæreses a Concilio generalibus damnatae reviviscerent & dicerent enim Hæretici, Concilia, a quibus sunt damnati, errasse. Item non certò nobis constaret, utrum sint Canonici Libri, quos Concilia definiunt esse Canonicos: undè tota subverteretur Fides & Religio. Item Ecclesia fuisset hæc usque in errore intolerabili, proponens ut fide credenda a Concilio generalibus definita, quæ possent esse falsa.

Quidam probant Conclusionem ex illo Matth. 18. *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo: ibi sum in medio eorum*, arguendo a minori ad majus sic: Si, dùm duo, vel tres in nomine Christi conveniunt ad iudicandum de aliqua re privata, Christus est in medio eorum adjuvans illos, quantum magis dùm Ecclesie Iudices, si non omnes, saltem multi cum Ecclesie capite conveniunt ad iudicandum de rebus fidei & Ecclesie, Christus est in medio eorum eos adjuvans: ergo. Ità arguit S. Gregor. I. 7. Ep. 110. Concilium Chalced. Ep. ad S. Leonem & 6. Synodus Act. 17. Verum pro hujus loci intelligentia rectè observat Sylvius, aliquos posse dupliciter in nomine Christi convenire. 1. Si conveniant in bonum finem, & animo verè christiano. 2. Si auctoritate Christi conveniunt; quod fit, cum auctoritate ejus Vicarij conveniunt, & quæ definiunt, ejus auctoritate firmantur. Qui priori modo conveniunt in nomine Christi, ut in Concilio Provincialibus, Christus adest tanquam adiutor, non ut infallibiliter definiat, sed ut diligenter rem discutiant: & si contingat, eos errare, a capite infallibiliter erudiantur, & firmantur in veritate. Qui verò posteriori modo conveniunt in nomine Christi, Christus eis adest, ut infallibiliter definiat; quia summo Pontifici & Ecclesie promissit infallibilitatem.

Sol-

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Ex Patribus. S. Gregorius Nazianz. Ep. 55. ad Procopium dicit: *Ego, si vera scribere oportet, hoc animo sum, ut omnem Episcoporum Concilium fugeam, quoniam nullius Concilii finem letum & sanatum vidi: ergo. R. S. Gregorium non loqui de Concilio generalibus, sed de particularibus, & quidem illegitimis, quæ fuerunt Seleuciense, Tyrense, Ariminense, Sirmysense, &c. Alioquin Concilium Nicenum magis facit & amplectitur Orat. 21. in laudem S. Athanasii: *In Sancto, inquit, Concilio Nicæa habito... quantum in ipso fuit, morbum compressit. Et Orat. 49. dicit: Nicæna Synodi Tractatum omni animi nisu ex tota fide servantes amplectimur. Imò & interfuit Concilio 1. Constantinop. ut constat ex Orat. 32. quam in eo habuit.**

Inst. 1. S. Aug. l. 3. contra Maximinum c. 14. *Nec ego, inquit, Nicenum, nec tu debes Ariminense tanquid præjudicaturus proferre Concilium: ergo non agnoscebat Concilium generale Nicenum infallibile. R. N. Conseq. Non enim hoc dixit Aug. quasi reputasset Concilium Nicenum errori obnoxium; sed quia cum Maximinus, contra quem disputabat, istud Concilium non recipiebat, nec ipse Aug. Ariminense, quid opponebat Maximinus, non tereret tempus in probando Concilio Nicæno, & in expugnando Ariminensi, compendiosioreque disputationis viam iniret, maluit ab utrisque Concilii Decretis abstrahere, & solis Scripturis adversarium urgere.*

Inst. 2. Aug. Ep. 162. *Putemus, inquit, Episcopos, qui Romæ judicant, non bonos fuisse Iudices: ergo idem quòd antè. R. N. Conseq. Non enim ibi loquitur Aug. de Concilio generali, nec de Concilio in materia fidei & morum, sed de Concilio particulari & in facto particulari, utrum scilicet Cæcilianus Episcopus Carthaginensis fuisset Traditor. Insuper hoc non dixit Aug. approbando, sed vel ironice exprobando, ut superius exposuimus Dissert. præced. art. 8. §. 2. Obj. 2. vel per gratiam concessionem, quasi dixeret: esto, Episcopus Romæ non bene iudicasset, restabat Donatistis appellare ad Concilium plenarium, & non ad Imperatorem, ut fecerunt.*

Inst. 3. Idem Aug. l. 2. contra Donat. c. 3. dicit, Concilia plenaria priora posse emendari a posterioribus: ergo ea non agnoscit infallibilia. R. N. iterum Conseq. in sensu conclusionis: loquitur enim ibi Aug. de Concilio plenarij non in questionibus fidei & morum, de quibus procedit conclusio; sed in factis particularibus, in quibus latetur Concilia plenaria ex falsis testimoniis errare posse, idè quæ a Concilio posterioribus posse emendari, nempe, cum, ut ait ibidem S. Doctor, *aliquo rerum experimento aperitur, quòd clausum erat, & cognoscitur, quòd latet.*

Obj. 2. ex Concilio generalibus, quæ diuiter errasse. Concilium generale Nicenum I. erravit, dùm Can. 2. damnavit eos, qui ad militiam redibant: ergo. R. Concilium non absolute militiam damnasse, sed eos tantum, qui, cum civilem militiam deposuissent, quod erat tunc signum conversionis ad fidem, illud resumebant, quod erat signum reversionis ad Idolatriam. Vel, ut alii volunt, novis tantum poenitentiae publicæ laboribus subiecit eos, qui, cum militiam causa poenitentiae agende abdicassent, ad eam sub Principibus Gentilibus redibant, ut ab inchoatæ poenitentiae molestiis se subducerent.

Inst. Sexta Synodus generalis 102. Canones edidit, inter quos multi ut erronei reprobandi: ergo. R. N. Ant. Sexta namque Synodus nullum edidit Canonem; sed hi Canones 102. sunt Concilii, quod dicitur Trullanum, seu Quini-sextum. Cum enim nec 5. nec 6. Synodus ullum canonem edidissent circa disciplinam & morum reformationem, Justinianus junior paucis annis post 6. Synodum congregavit 227. Episcopos in Trullo, seu sub capula *Le Dome Palatii Imperialis Constantinopoli*, ut in supplementum 5. & 6. Synodi de disciplina & morum reformatione statuerent. Undè dicta est hæc Synodus *Quini-Sexta*, & a loco *Trullana*. Hæc constat ex ipsis Orientalibus horum Canonum fabricatoribus, qui in Ep. ad Justinianum Imperatorem dicunt: *Quantum sanctæ & universalis Synodi, quinta sub Justiniano Augusto, sexta sub Constantino Patre tuo Augusto, de mysterio fidei plenissime disputantes, Canones non fecerunt, sicut cetera quatuor universales Synodi; propterea nos convenienter in hanc imperialem urbem sacros Canones conscripsimus. Revertur c. Quoniam Dist. 16. Idem habetur in Actione 6. Synodi 7. Hæc autem Synodus Trullana, seu Quini-sexta, nunquam fuit ab Ecclesia recepta, nec a summis Pontificibus confirmata, ut constat ex venerabili Beda, qui libr.*

Theol. Billuarr. Secunda Secunda.

de sex etatibus ad ann. 4649. de Justiniano sic habet: *Hic, Bene memorie Pontificem Romanæ Ecclesie Sergium, quia erraticæ suæ Synodo (sic vocabat Synodum Trullanam) quam Constantinopoli fecerat, favore & subscribere voluisset, missa Zachario Proto-Spatario suo, jussit Constantinopolim deportari; sed prævenit malitia Ravenatæ urbis. Et ex Platina, qui in vita Sergii I. & Joannis VII. refert, Justinianum non potuisse ab his Pontificibus extorquere horum Canonum approbationem.*

Utrum autem interfuerint huic Concilio Legati summi Pontificis, disputant Historici. Affirmant Lupus & Natalis Alexander; quia Basilus Gortynensis Episcopus huic Synodo subscripsit dicens: *Locum tenens Synodi S. Romanæ Ecclesie: & Anastasius Bibliothecarius in vita Sergii dicit: Hujus Pontificis temporibus Justinianus Imperator Concilium in Regia urbe fieri jussit, quòd & Legati Apostolicæ Sedis conveniant, & decepti subscripsissent. Negant Baronius, Cabassutius, & alii; quia nunquam unus tantum Legatus ad Concilium generale fuit a summis Pontificibus missus; solus autem Basilus ut Legatus subscripsit. Undè verisimile existimant, quòd, sicut fatentibus adversariis, alie subscriptiones sunt magna ex parte vitiate, hæc Basilii sit pariter interpolata. Aliunde, cum isti Patres adversus Ecclesiam Romanam ausi sint condere Canones, non reputant incredibile, eos hunc titulum Basilio tribuisse, ut majorem sui Decretis fidem conciliarent. Quantum ad Anastasium respondens, per Legatos intellexisse Vicarios, quos summus Pontifex habebat in Oriente, quos Justinianus absquæ speciali mandato summi Pontificis advocavit, ut majorem suo Concilio auctoritatem tribueret: undè Platina in vita Sergii dicit: *Eadem quoque Sergii Apoerystarius, qui tunc Constantinopoli erat, subscriptione sua stolidè nimium confirmavit.**

Quidam opponunt insuper Canones Apostolicos, inter quos sunt quidam erronei, & arguunt a majori ad minus. Si Apostoli erraverunt, a fortiori errare possunt Episcopi in Concilio. Verum Canones, qui dicuntur Apostolici, esse apocryphos, abundè probavimus in Tract. de Jure, Digress. I. Hist. ad Dissert. I. Require.

Obj. 3. Quamvis sit de fide, omne Concilium generale legitimum esse infallibile; non est tamen de fide, hoc Concilium generale, puta Nicenum, esse legitimum; id enim tenemus ex Historia humana: ergo non est de fide, hoc Concilium esse infallibile. R. 1. N. Ant. Est namque de fide, quòd omne Concilium ab Ecclesia acceptatum sit legitimum, quia Ecclesia errare non potest in acceptanda fidei regula. In hac autem propositione universalis continetur, ut pars in toto, hæc particularis, hoc Concilium, puta Nicenum, ab Ecclesia acceptatum sit legitimum, sicut est in sua universalis revelata. Pro majori intelligentia & explicatione hujus solutionis, vide art. ultimum Dissertationis præced. 2. Esto non sit de fide, hoc Concilium esse legitimum, sed tantum certum consecutione Theologica, quia fortè non requiritur tanta certitudo ad præambula fidei, quam ad ipsam fidem, ut loco citato diximus; saltem hujus Concilii Decreta, quæ fide divina credenda proponit Ecclesia omnibus fidelibus, ad fidem pertinent; cum fide certum sit, Ecclesiam errare non posse circa res fidei.

Quædam alia argumenta require Dissert. prius citata, ubi de infallibilitate Ecclesie: & nota, quòd, sicut probavimus ibidem, Ecclesiam esse infallibilem, non solum in questionibus fidei & morum, sed etiam in factis dogmaticis & canonizatione Sanctorum, idem ex iisdem principiis dicendum sit de Concilio generali, quod est Ecclesia representativa.

Petes, quid sit dicendum de Decretis Conciliorum Provincialium, aut Nationalium? R. 1. Si secundum se spectentur, sunt quidem veneranda, non tamen infallibilis auctoritatis; quia Concilia particularia nullo titulo gaudent privilegio infallibilitatis, & sæpe erraverunt. 2. Si sint a S. Sede confirmata, ut dogmata fidei ab omnibus fidelibus fide divina credenda, sunt infallibilis auctoritatis, ex ipsa summi Pontificis confirmatione. 3. Si seclusa confirmatione positiva & expressa summi Pontificis, pervenerint in communem Ecclesie notitiam, & neque summus Pontifex, neque Ecclesia contradicant, Alphonso a Castro & Bannes, quos citat, & sequitur Sylvius, censent esse infallibilis auctoritatis; quia istud silentium censetur, tacita & virtualis approbatio; nam, si hæc Decreta omnibus nota essent falsa, nunquam Ecclesia, aut Pontifex taceret, sed error per contraria Decreta occurreret. Hujusmodi sunt, inquit, Concilia Toletana, Arelatensis, Hispanensis, & quædam alia.

P

AR-

ARTICULUS V.

Utrum Concilium Generale debeat necessario confirmari a summo Pontifice.

Deo: Confirmatio summi Pontificis debet necessario accedere Concilio generali, ut sit ratum & firmum. Prob. 1. ex Julio I. Pelagio II. Synodo 4. & 7. quorum textus citavius a. 1. hujus Dissert. juxta quos nullum Concilium est ratum & firmum, nisi auctoritate Romani Pontificis fulciatur, media autem confirmatione fulcitur. Item Eugenius IV. in Decreto super unione Jacobitarum, dicit, Ecclesiam Romanam recipere Synodos, auctoritate Romani Pontificis congregatas, celebratas, et confirmatas: ergo.

Prob. 2. ex usu & praxi Ecclesie. Omnia Concilia generalia, huc usque celebrata, fuerunt confirmata a summo Pontifice, & plura ejus confirmationem petierunt. Hoc autem apertum est indicium, hanc confirmationem existimatum fuisse necessariam, alioquin ut quid tam accurate, tam constantiter data, & toties petita? Prob. Ant. Concilium Nicænum 1. generale petiisse confirmationem a S. Sylvestro, habemus ex Ep. Synodi Romanæ sub Felice Papa III. apud Baronium ad ann. 485. in qua dicitur, quod 218. Patres, apud Nicænum congregati, sequentes hanc vocem Domini: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, confirmationem rerum in ea gestarum, atque auctoritatem S. Romanæ Ecclesie detulerunt. Concilium generale. 2. Constantinopolitanum I. a Damaso Papa in Synodo Romana fuisse confirmatum, tradit Photius l. de 7. Synodis ad Michaëlem Imperatorem, ubi post recensitos illustres Concilii Patres subdit: quibus haud multo post & Damasus Episcopus Romæ eadem confirmans atque sentiens accessit. Constat insuper ex eo, quod, cum istud Concilium esset tantum ex se Nationale, non evasit Œcumenicum nisi ex confirmatione Damasi in Concilio Romano. Vide, quæ hæc de re latius disseruimus Tract. de Trinit. Digress. IV. Hist. ad Dissert. præcæm. Sect. I.

Concilium Ephesinum 3. generale acta sua misit Cælestino ab ipso confirmanda: Quia verò, inquit in Ep., seu Relatione, quæ habetur in Actis Act. 5. necesse est, ut omnia, quæ consecuta sunt, Sanctitati tue significentur, non potuimus non scribere. Et infra reservat summo Pontifici ultimum iudicium contra Nestorium & alios. Tum petit specialiter confirmari consecrationem Maximiani substituti in locum Nestorii, quam approbavit Cælestinus in Ep. ad Synodum data, licet post absolutam Synodum scripta. Denique nihil aliud definitivè hoc Concilium, quam quod prius Cælestinus definiat, atque prescripserat. Concilium Chalced. generale 4. petiisse confirmationem a S. Leone, constat ex relatione Patrum ad ipsum, quæ refertur parte 3. in qua dicitur: Rogamus & tuis decretis honora nostrum iudicium... omnium gestorum vim vobis insinuavimus ad probationem nostræ sinceritatis, & ad eorum, quæ a nobis gesta sunt, firmitatem & consonantiam. Quibus respondet S. Leo se per approbationem gestorum Synodaliū eandem inisse sententiam, in sola videlicet fidei causa, quia renuit approbare 28. Canonem, ut alibi vidimus.

Concilium II. Constantinop. generale 5. fuisse confirmatum a Vigilio & ejus Successoribus Pelagio I. II. & S. Gregorio, ostendimus Dissert. præcæm. dùm de causa trium Capitulorum Concilium generale 6. Constantinop. III. petit confirmationem in Ep. data ad Agathonem his verbis: Orthodoxæ autem fidei splendidam lucem vobiscum clare prædicavimus; quam ut iterum per honorabilia vestra rescripta confirmetis, vestram oramus paternam Sanctitatem. Obierat Agatho, quando hæc Epistola Romam pervenit. At illi satisfecit Leo II. ejus Successor, rescribens Imperatori Pogonato his verbis: Idcirco & nos & per nostrum officium hæc veneranda Sedes Apostolica concorditer, ac unanimiter his, quæ definita sunt ab ea, consentit, & B. Petri auctoritate confirmat, sicut supra solidam petram, qui Christus est, ab ipso Domino adeptis firmitatem.

Concilii generalis 7. Nicæni II. acta Tharsius Patriarcha Constantinop. misit ad Adrianum I. & eorum petit confirmationem. Adrianus decretum fidei de sacris Imaginibus, editum Act. 7., confirmavit: Canones autem 22. ab eodem Concilio editos non confirmavit, eò quod in eis probaret omnes Canones Apostolicos & omnes Trullanos, quos tamèn omnes non admittit Ecclesia. Concilium generale 8. Constantinop. IV. postulavit confirmationem ab Adriano II. in Ep. Synodica, his verbis: Om-

nium nostrum conventum et universalis hujus atque Catholice Synodi consensus et consonantiam recipiendum prædica: eum magis, ac magis veluti proprium et solidum confirmas Evangelicis præceptionibus et admonitionibus vestris. Quam confirmationem ab Adriano datam restatur Anastasius Bibliothecarius in præfatione ad hanc Synodum. Hæc de Conciliis in Oriente celebratis, cum omnibus, excepto Trid. adfuerit personaliter summo Pontifici, ibidem eam confirmavit. In Trid. autem, eò absolute, quæsitum est, an placeret, ut omnium & singulorum, quæ in eo fuerant decreta & definita, peteretur confirmatio nomine S. Synodi per S. Sedis legatos a Romano Pontifice? Responderunt omnes: Placet.

Prob. 3. Concilium generale non est ratum & firmum in suis Decretis, nisi quatenus representat Ecclesiam universam; atqui non representat Ecclesiam universam, nisi caput suum Romanum Pontificem secum iudicantem habeat; nec censetur Romanus Pontifex iudicare, nisi dùm Concilii Decreta confirmat: ergo.

Verùm statim occurrit difficultas non levis: Concilium generale legitime congregatum, assidentibus & iudicantibus cum Concilio Legatis Apostolicis, qui vices Romani Pontificis gerunt, & ejus nomine præstant, representat universam Ecclesiam, est enim suo capiti unitum: ergo hoc ipso ejus Decreta sunt rata & firma, nec indigent ulteriore confirmatione Pontificis. Ad hujus difficultatis enodationem observandum est, Legatos Apostolicos mitti ad Concilia, aliquando cum instructione summi Pontificis circa quæstiones definiendas, quod fieri solet, quando pauca sunt definienda; aliquando sine instructione, quod contingit, quando plura sunt definienda, ut in Concilio Trid. Hæc observatione præmissa, ad difficultatem propositam R. 1. Si Legati habeant instructionem, & eam non sequantur definiendo cum Concilio, definitio non est rara & infallibilis; cum enim non agant tunc ut Legati Pontificis, Concilium non est in definiendo suo capiti junctum, nec consequenter representat Ecclesiam. 2. Si verò sequantur adamussim suam instructionem, arbitramur, quidquid dicant aliqui, definitionem Concilii esse ratam & infallibilem; quia tunc habet junctum suum caput, nempe summum Pontificem, expressè secum consentientem, & sic totam Ecclesiam representat.

Neque dicas, hanc Pontificis instructionem non esse definitionem ex Cathedra, alioquin non esset libera Episcoporum suffragia; solam autem definitionem Pontificis ex Cathedra esse infallibilem. Fateor equidem, hanc instructionem, dùm datur, non esse definitionem ex Cathedra, sed dum illi consentit Concilium, & secundum illam formatum Decretum, incipit esse definitio ex Cathedra, estque sententia definitiva, non Concilii tantum, sed etiam Pontificis, quam retractare non potest. Sic enim mittuntur Legati, ut si Concilium instructioni assentiat, formetur Decretum; si non assentiat, suspendatur Decretum, & interim consulatur Pontifex. Nilominus & in hoc casu, existimamus, necessariam esse confirmationem summi Pontificis, non ut Decreta Concilii acquirant infallibilitatem, quam jam habent, sed ut innoscat Ecclesie omnia in Concilio ritè fuisse servata, & juxta instructionem & mentem Pontificis Decreta fuisse formata, quod aliter certò sciri, non potest; cum quandoquæ Legati, præter instructiones publicas, habeant secretas, quas fortè non exhibuerunt, aut saltem non exhibere poterant.

3. Si verò adsint Legati Concilio, sine instructione summi Pontificis, quidquid definit Concilium, etiam iis assentientibus, non est infallibilis auctoritas, nisi accedat confirmatio summi Pontificis. Quia Pontifex non potest conferre Legatis privilegium infallibilitatis; est enim annexum summo Pontificatui, seu dignitati capitis & supremi Pastoris Ecclesie, pro quo solo Christus oravit, ut non deficeret fides: non potest autem Papa Legatos constituere summos Pontifices, & supremos Ecclesie Pastores. Confirm. Legati cum instructione Pontificis possunt ab illa recedere & errare: ergo pariter errare possunt sine instructione.

Verùm redit argumentum prius factum: Concilium legitime congregatum, præsentibus Legatis Apostolicis, representat universam Ecclesiam; atqui universa Ecclesia errare non potest: ergo. R. D. Ant. Concilium legitime congregatum, præsentibus Legatis Apostolicis, representat universam Ecclesiam incompletè & imperfectè, C. completè & perfectè, N. nondùm enim habetur consensus capitis cum corpore, siquidem Legati, quamvis nomine Pontificis præsentent, non sunt tamèn caput & Pontifex cum privilegio infallibilitatis, & ipse pondum mentem suam adpænit circa definita. Inst.

Inst. 1. Hujusmodi Concilium est congregatum in Spiritu S. & potest dicere: Visum est Spiritui S. & nobis: ergo. R. D. primam partem Ant. Est congregatum in Spiritu S. quantum ad inchoationem, C. quantum ad consummationem, nisi accedat confirmatio Pontificis, N. Sicut enim Pontifex dedit auctoritatem, ut inchoaretur, sic necesse est, ut illud confirmet. Ad 2. partem Ant. Potest hoc Concilium dicere: Visum est Spiritui S. & nobis, quatenus definit auctoritate Pontificis, & confidit, definitionem, quam ad illud retri, ab eo esse probandam.

Inst. 2. Hujusmodi Concilium antè Pontificis confirmationem expè definit sub anathemate; imò quandoquæ procedit ad executionem, pellendo hæreticos in exilium, eos deponendo, & tradendo brachio sæculi, aut aliis penis eos afficiendo, ut contigit in Concilio Ephesino, quod depositus Nestorium, & in Constantiensi, quod Hieron. de Praga tradidit brachio sæculi sess. 27. antè electionem Marini V. ergo. R. ad 1. partem Ant. Hoc anathema dei a Concilio pro eo tempore, quo ejus decreta erunt a Pontifice confirmata. Sicut, dùm Judex inferior pronuntiat sententiam mortis in reum, intelligitur, reum debere subire mortem, si Judex superior, ad quem appellatur, confirmet sententiam. Adde sequentia, vidè ad 2. partem Ant. Observandum est, quædam definiti in Conciliis, quæ spectant disciplinam tantum, & ea non indigent confirmatione Pontificis, quia non requirunt infallibilitatem. Quædam definiuntur & damnantur, quorum instructio prævia data est a summo Pontifice, aut quæ jam a prioribus Conciliis, vel Pontificibus sunt damnata, & ab omnibus catholicis damnantur, & hæc pariter sunt rata & infallibilia antè confirmationem Pontificis. Quæ autem damnantur de novo sine instructione Pontificis, non exigunt quidem, antè confirmationem, fidem; bonè tamen obedientiam, ad quam non requiritur infallibilitas, sicut ad assensum fidei. Sic sententia Judicis, aut mandato Regis, quamvis fallibilis, tenentur parere partes, aut civis, & retractari possunt. Ex his facili colliges, quomodo Concilium antè confirmationem possit quandoquæ procedere ad executionem suorum Decretorum.

SYNOPSIS HISTORICA

Conciliorum generalium in Ecclesia receptorum.

Otodecim vulgò numerantur: Octo celebrata in Oriente, scilicet Nicænum, cui adjungitur Sardicense, Constantinop. I. Ephesinum, Chalced. Constantinop. II Constantinop. III. Nicænum II. & Constantinop. IV. Decem celebrata in Occidente, scilicet quatuor Lateranensia, duo Lugdunensia, Viennense, Florentinum, Lateran. V. & Trid. His quidam addunt Pisanum & Constantiense, de quibus etiam dicemus.

SECTIO I.

De Conciliis generalibus in Oriente celebratis.

Concilium Nicænum generale primum.

Anno 325. cessante persecutione in Christianos, Concilium generale a tempore Apostolorum primum celebratum fuit Nicææ in Bithynia, promovente Constantino Magno, qui vecturas, victum, & alia itinèri necessaria Episcopis ministrari propriis expensis curavit. Huic Concilio præsederat nomine S. Sylvestri, ut antea diximus, Osius Cordubæ in Hispania Episcopus, Victor, seu Vitus, aut Vito & Vincensius Ecclesie Romanæ Presbyteri. Interfuerunt 218. Patres inter quos illustres erant quatuor Patriarchæ, Alexander Alexandria, Eustathius Antiochiæ, Macarius Jerosolymorum, & alter Alexander Constantinopolis, plures alii sanctitate, & notis confessionis fidei illustres: his adjungit Methodius S. Nicolaum Myræ in Lycia Episcopum. Adfuit Constantinus Magnus, qui thronum sublimem sibi paratum recusavit, nec nisi rogatus sedere inter Patres voluit, & tanquam unus ex illis. Is, de quibus disputabatur, attentè auscultabat, inquit Eusebius l. 3. de vita Constantini c. 14. rumores sedabat, suum sensum modestè aperiebat, & singulos amice alloquebatur. Libellos Arianorum contra Episcopos Orthodoxos legere noluit, palam combussit, dicendo Episcopos a solo Deo esse iudicandos, se autem iudicio Episcoporum in his, quæ spectant Religionem, subesse; & occultanda esse hæretorum delicta, ne sacrum Ministerium veniat in contemptum.

Theol. Billuart. Secunda Secunda.

Convocationis hujus Concilii causa triplex: prima & præcipua fuit Hæresis Ariani. Arius Ecclesie Alexandriae Presbyter dogmatizabat, Verbum & Christum simplicem esse creaturam, alius tamen perfectiorem; & ideo fuisse quando non erat. A suo Episcopo Alexandrino in duobus Conciliis jam prædamnatus, in Concilio Nicæno potentem adversarium & expugnatorem habuit S. Athanasium adjuvè juvenem, Ecclesie Alexandriae Diaconum, quem Alexander secum in hunc finem duxerat. Proscripta ergo fuit a Concilio Nicæno Arii hæresis, & ipse in exilium pulsus est, atque inserta Symbolo vox Homousion, seu Consubstantialis. Secunda causa Concilii convocandi fuit controversia de tempore celebrandi Paschatis, quam licet Victor Papa jam diremisset, & anathema comminatus fuisset contra eos, qui contendeant celebrandum esse cum Judæis 14. luna primi mensis, quacumque die occurreret (unde dicitur Quarta decima) hæc usque tamen nondum habebatur ab Ecclesia alieni. Decrevit ergo sacra Synodus, Pascha celebrandum esse Dominica post lunam decimam quartam primi mensis, scilicet Martii, incidentem in æquinoctium vernalium, vel ipsum proxime sequentem. Tertia causa convocationis Concilii fuit schisma Meletii. Meletius Lycopolis in Ægypto Episcopus Idolis sacrificaverat, & a S. Petro Alexandrino Patriarcha suo exactoratus, schisma fecerat. Hunc denudò exactoravit Concilium. Insuper Canones aliquos circa disciplinam edidit, 20. vulgo circumferuntur. An non fuerint plures, controversatur inter Auctores, de quo vide Cabassarianum Notit. Ecclesiast. Diatriba ad Concilium Nicænum pag. milii 119. & seq.

Hæresis Ariani, Nicæa damnata, sed non extincta, recruduit agentibus Episcopis Ariani, qui metu damnationis & Imperatoris fidei Nicæne fraudelemèr subscripserant. Hi igitur in hunc finem Athanasium præcipuum consubstantialitatis defensorem, a quo superati fuerant in Concilio, & qui loco Alexandri mortui Sedem Alexandrinam conscenderat, variis calumniis impetiverunt, atque in Concilio Tyrensi damnarunt; ita ut Constantinus Magnus eorum artibus circumventus eum in exilium amandaverit. Mortuo Constantino Athanasius se purgavit apud Julium Papam, sed Ariani, auctoritate Constantii insignis Athanasii furoris fracti, non destiterunt in Athanasium ferere, donec Constantius ejus frater totius Occidentis, post mortem Constantii alterius fratris, Imperator, & Nicæna fidei defensor, a Constantio fratre, tum precibus, cum minis obtinuit, ut amborum consensus Concilium Sardicæ celebraretur. Anno itaque 347. celebratum est Sardicæ Concilium generale 300. Episcoporum, 80. Episcopis Ariani secedentibus Philippum in Thracia, quod viderent se impares Episcopis Orthodoxis. Concilium Sardicæ confirmavit fidem Nicænam & Athanasium insontem declaravit, ipsumque & alios ab Ariani ejectos suis Sedibus restituit. Et quia hoc Concilium nullum novum Decretum fidei edidit, sed Nicæna Decreta tantum confirmavit, & eorum defensores vindicavit, inter Concilia generalia non tenet locum distinctum a Nicæno, & sub Nicæni nomine venit, atque ejus Canones, quos 21. condidit, tanquam Nicæni citantur, saltem in Ecclesia Romana, ut jam alibi observavi.

Ariani verò, Philippi congregati, non solum in Athanasium & Osium, sed etiam in Julium Papam insolentè dixerunt. Et ut incautos deciperent, suam Pseudo-Synodum Philippensem Sardicensem appellarunt. Undè Donatista, quibus Ariani se junxerant, suppressa vera Synodo Sardicensi, Synodum Philippensem sub nomine Sardicensis per totam Africam promulgarunt; ita ut Aug. l. 3. contra Crescon. c. 34. & alibi, nullam aliam Synodum Sardicensem agnoscat, quam Arianorum. De Ario & Athanasio latius vide Tract. de Trinitate Dissert. præcæm. Art. 1.

Concilium Constantinopolitanum I. Generale secundum.

Anno 381. Kalendis Maii, Imperantibus Theodosio seniore, Gratiano, & Valentiano, inchoatum est Concilium Constantinopolitanum I. fuit 150. Episcoporum Imperii Orientis, quibus sub initium aderant 50. Episcopi ex parte Macedonianorum, sed statim discesserunt. Hujus Concilii convocandi causa præcipua fuit, ut fides Nicæna tot Pseudo-Synodis et formalis Ariani liberebatur firmaretur, & hæresis Macedonii atque Appollinariis damnarentur.

Macedonius primum Ecclesie Constantinopolitane Diaconus, postea Episcopus, stabat è partibus Semi-Arianorum, qui rejicientes Homousion, id est, consubstantialem; admitebant Homousion, id est, similem in substantia, an-

360. novam illam heresim commentus est, dicens Spiritum S. non esse ejusdem cum Patre & Filio substantiæ ac honoris participem, sed utriusque ministrum, ac creaturam. Vide Tract. de Trinitate Dissert. præm. Art. 1. Apollinaris, patria Laodiceus, filius alterius Apollinaris Presbyteri, qui contra Porphyrium multa pro Religione scripsit, dogma hæreticum, quod senior Apollinaris tenebat, promovit circa ann. 367. nempe Christum corpus quidem sumpsisse ex Maria Virgine, sed sine anima: postea errorem suum emolliens, dixit sumpsisse etiam animam, sed quæ mente careret, Verbumque fuisse illi loco mentis. Tandem mutata adhuc priori sententia, dicit, carnem non de Virgine, sed de celo assumpsisse. Vide præcedentem Tractatum de Incarnat. Altera causa congregandæ Synodi fuit, ut de legitimo Episcopo Constantinopolitano strueretur adversus Maximum Cynicum, ab Ægyptiis Episcopis illegitimè intrusum contra S. Gregorium Nazianzenum, communi consensu ad hanc Sedem assumptum.

Concilium itaque 1. damnat hæreticos cum suis erroribus, Anomæos scilicet, seu puros Arianos, confirmando Symbolum Nicenum; Appollinaristas addendo Symbolo, *Conceptus de Spiritu S. ex Maria Virgine, Maccedonianos addendo de Spiritu S. Deum & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum, qui locutus est per Prophetas.* Quantum ad alterum caput: legitimum declaravit electionem S. Gregorii, eamque confirmavit. Sed cum factio Maximi novos tumultus daret instaretque contra validitatem electionis S. Gregorii, eo quod ex aliis Sedibus Sazimorum scilicet & Nazianzi, in sedem Constantinopolitanam contra Canones translatus fuisset, S. Præsul sponte cessit Episcopatu, illud memorabile proferens: *Si vobis nullo modo causa dissidii sum, Jonam Prophetam integritate vitæ non supero, projicite me in mare, & tumultuum tempestate agitari desidero.* Nihil tamè obtinuit Maximus, sed in locum S. Gregorii successit Nestorius adhuc Catechumenus.

Quomodo istud Concilium evasit generale & Cæcumenicum uberim explicuimus Digress. IV. Hist. ad Dissert. præm. de Trinit. Sect. 1. vide diligenter, non enim valet hic repetere. Quosdam etiam Canones edidit hæc Synodus; quidam numerant septem, alii tres tantum. Hos, præsertim secundum, aut tertium, quo primus locus post Romanum Pontificem conceditur Episcopo Constantinopolitano, non admisit Ecclesia Romana, nisi diu post in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. eundemque improbatum S. Leo in Concilio Chalced. Nec obstat, quod in sequentibus Conciliis Episcopus Constantinopol. secundum locum obtinuerit, non reclamantibus Legatis Apostolicis; id enim factum est ex quadam Legatorum dissimulatione, & suprema Imperatorum potestate.

Concilium Ephesinum Generale tertium.

Anno 431. Celestini 8. Theodosii junioris 24. celebratum fuit Ephesi Concilium generale contra Nestorium. Omnia, quæ illud & errores Nestorii spectant, hæc Digress. I. Hist. ad Dissert. 4. de Incarnat. per quinque sectiones, illic require.

Concilium Chalcedonense Generale quartum.

Anno 451. Celebratum est hoc Concilium Chalcedone sub S. Leone & Marciano Imperatore contra Eutychem. Omnia etiam, quæ hanc Synodum, & errores atque fautores Eutychem spectant, habes ad longum Digress. 2. Hist. ad dictam Dissert. 4. de Incarnat. per quinque Sectiones, vide.

Concilium Constantinopolitanum II. Generale quintum.

Hoc Concilium celebratum fuit ann. 553. sub Vigilio Papa & Justiniano Imperatore in causa trium Capitoliorum & Origenistarum. Adfuerunt 160. Episcopi. Quæ spectant hoc Concilium quoad tria Capitula, latè exposita sunt Dissert. 3. hujus Tract. art. 7. §. 4. illic recurte. Quantum ad Origenistas. Origenes à suo Episcopo Demetrio Alexandrino propter varios errores damnatus negavit esse suos, sed à quodam æmulo suis operibus esse insertos, præcipui erant circa divinitatem Verbi divini & Spiritus S. de qua minus recè sentire videbatur: circa penas damnatorum, quas aliquando finiendo dicebat: circa formam Resurrectionis corporum, quæ in figura rotunda resurrectura docebat: circa Astrorum & Cælorum naturam, quæ

anima intellectiva esse prædicta dicebat, &c. Hæc autem falsa dogmata disseminabant quidam Monachi novæ Lauzæ, seu S. Sabæ in Palestina, quos cum suis erroribus confixit hoc Concilium.

Concilium Constantinopolitanum III. Generale sextum.

Hoc Concilium auctoritate Agathonis Papæ convocatum, promovente & ministerialiter concurrente pissimo Imperatore Constantino Pogonato contra Monothelitas, celebratum fuit ann. 680. in Secretario Palatii Imperialis, quod *Trullum* vocant, cui adfuerunt 166. Episcopi. Omnia, quæ ad illud & Monothelitas pertinent, abundè exposuimus Digress. hist. ad Dissert. 18. de Incarnat. per quinque Sectiones. Illic Lectorem remitto.

Concilium Nicenum II. Generale septimum.

Fuit celebratum hoc Concilium ann. 787. sub Adriano I. & Constantino cum matre Irene imperante, contra Iconoclastas. Hujus Concilii & Iconoclastarum historiam habes descriptam in Tract. de Incarnat. Dissert. 23. art. 3. Vide.

Concilium Constantinopolitanum IV. Generale octavum.

S. Ignatius, Michaëlis Cypripalati filius, quem Leo Armenus Eunuchum & Monachum fieri jussert, ope Theodori Augustæ alterius Michaëlis Imperatoris matris Sedem Constantinopolitanam conscenderat. Barda Theodori frater in Ignatium exacerbatus, quod ipsam ob stupri consuetudinem cum propria nutu ab Ecclesiæ communione se parasset, suadet Michaëli, ut Theodorum matrem in Monasterio includat, & Ignatio præcipiat, ut illi etiam invite Religionis velum imponat; quod cum recusaret Ignatius, in exilium pulsus est, & ejus loco substitutus Photius homo laicus, qui per Gregorium Syracusanum, a S. Ignatio ob fœdera depositum, intra sex dies fuit ordinatus. Vir erat Photius accerrimi ingenii, & humaniorum litterarum peritissimus, sed summe malitiæ & ambitionis. Et hæc est prima origo Schismatis Græcorum, quod, licet aliquoties interruptum, hodiè tamèn adhuc perseverat.

Nicolaus I. Ignatii depositionem in Concilio Romano irritavit, Legatosque Rodoldum & Zachariam Constantinopolim misit, qui ipsam suæ Sedi restituerent, & Iconomachos redivivos comprimerent. At Photius, congregata Synodo, Ignatium præsentem dignitate nudavit & variis tormentis vexatum, ac ferè semi-mortuum, uno ex ministris apprehendente ejus manum, crucem in charta facere cogit, qua significaret se suæ depositioni consentire. Huic pseudo-Synodo legati, molestis à Photio illatis viciti, ignavè subscripserunt. Hæc autem, ubi rescivit Nicolaus, irritavit, & legatos, atque Photium anathemati subjecit, sed & ipse Photius coacto conciliabulo summum Pontificem vicissim excommunicare attentavit. Michaëli successit Basilius, qui ut tot malis occurreret, petiit ab Adriano II. qui Nicolao defuncto successerat, Concilium generale. Libenter annuit summus Pontifex, & misit legatos Donatum Ostiensem, Stephanum Nepepinum & Marinum Diaconum, qui Concilio Constantinopoli celebrando suo nomine præsiderent.

Anno itaque 869. 5. Octobris inchoata est hæc Synodus, præsentibus diebus legatis & præsentem Basilio cum 102. Episcopis: ii, qui à S. Ignatio fuerant consecrati, & cum Photio communicaverant, veniam petentes, præstèbrent poenitentiam ad consensum admissi sunt. Photius comparère coactus, de variis criminibus accusatus, & interrogatus respondere renuens, anathemate confixus est, cuius damnationi Patres Synodici, ut refert Nicetas David Auctor coævus in vita S. Ignatii, calamo intincto non atramento tantum, sed etiam sanguine Christi in atramentum infuso, subscripserunt. Iterùm insuper damnati sunt Iconoclastæ; & editis quibusdam Canonibus, absoluta est Synodus pridè Kalendas Martii ann. 870.

Mortuo post aliquot annos S. Ignatio, Photius ope Basilii Imperatoris fretus petiit à Joanne VIII. in Sedem Constantinopolitanam restitui, misso Romam cum litteris Imperatoris Santabarano insigni impostore, cuius artibus circumventus Pontifex restitutioni, seu potius promotioni Photii in Sedem Constantinopol. nimia facilitate consentit, missis etiam in hunc finem Legatis Constantinopolim. At Photius, falsificatis litteris Apostolicis, & Legatis blanditiis & muneribus corruptis, pseudo-Synodum quasi ex consensu Joannis congregavit quàm œcumenicam appellavit, in

eaque omnia acta præcedentis Synodi œcumenicæ contra ipsam, à Nicolao I. & Adriano II. confirmata, irritavit, atque anathemate confixit eos, qui partuculam *Filioque* Symbolo addiderant, aut adderent. Joannes se delusum sentiens ambonem conscendit, & anathema in Photium solemniter pronuntiavit, sed tardius: ex tunc enim formatum est schisma Græcorum, quod huc usquè penitus extingui non potuit.

SECTIO II.

De Conciliis generalibus in Occidente celebratis.

Ecclesia græca, per schisma Photianum a latina divisa, nulla amplius in Oriente celebrata sunt Concilia generalia; sed plura, eaque numerosissima in Occidente, quæ sequuntur.

Concilium Lateranense I. Generale novum.

Causa convocandi hoc Concilium fuit grave dissidium inter summos Pontifices, & Imperatores, ac Germaniæ Reges circa investituras. Investitura autem in eo sita erat, quod Rex, seu Imperator consentiret electioni aliquis ad Episcopatum, vel Abbatiam, & concederet Electo per baculum, & anulum possessionem, & usum honorum Ecclesiasticorum; sine quo electus privabatur istis bonis; & Electio manebat irrita. Ortum habuit in Imperatoribus, & Regibus iste usus, ex eo quod multa bona, etiam feudæ Regalia Ecclesiis contulissent, sub ea conditione, omnibus feudis communi, quod electi Episcopi, vel Abbates horum possessionem non adirent, nisi eam à Donatoribus, vel ejus successoribus aliquo Ritu exteriori accepissent, præstito prius juramento fidelitatis.

Id potuit esse ab initio incalpatum, sed in graves postea degeneravit abusus. Hinc enim effectum est, ut Reges, & Imperatores investituras non ad sola feudæ regalia, sed ad omnia bona Ecclesiastica extendere, & libertate Electionum sublata, Episcopatus, & Abbatias, quibus vellent, etiam indignis, mediante pretio, simoniacè conferrent. Adde, quod traditione baculi, & annuli, quæ sunt insignia pastoralia, præbatur multis occasio credendi, non solum feudorum possessionem, sed etiam jurisdictionem spirituales ab Imperatoribus, & Regibus conferri. Huic malo conati sunt occurrere plures Pontifices, præsertim Gregorius VII. antea dictus Hildebrandus Monachus Cluniacensis, & Calixtus II. antea Guido Episcopus Viennensis: iis obstituerunt duo Imperatores, seu Germaniæ Reges, Henricus III. & IV. juxta Italos; juxta Germanos autem IV. & V. duobusque legitimis Pontificibus duos opposuerunt pseudo-Pontifices, Gregorio Guiberrum Ravenne Episcopum, Calixto Berdinum Breacharensem Archiepiscopum. Henricum IV. anathemate confixit Gregorius. Henricum V. Calixtus; qui & comparato exercitum, Henrico V. occurrit: at instante prælio inter Deputatos utriusque exercitus, Deo sic speciali gratia disponente, conventum est, quod Henricus missis ad Pontificem legatis pacem, propositis quibusdam conditionibus, peteret, quæ Concilio generali firmaretur. Annuit Pontifex, & Concilium generale Romæ in Ecclesia Lateranensi celebrandum convocavit, ad quod ann. 1123. convenerunt, juxta Sugerium S. Dionysii Abbatem, qui aderat, 300. & amplius Episcopi, non numeratis Abbatibus, & aliis Clericis.

Conditiones itaque pacis, de quibus jam conventum erat Viceburgi inter Deputatos utriusque exercitus, atque in hoc Concilio firmate, sunt sequentes. Imperator dimittit omnem investituram per baculum, & anulum, & concedit in omnibus Ecclesiis fieri electionem, & liberam consecrationem, atque bona Ecclesiis ablata ab initio hujus discordiæ restituere promittit. Pontifex vero concedit Imperatori electiones Episcoporum, & Abbatum Teutonici Regni in presentia sua fieri absquè simonia, & violentia, ut si qua inter partes discordia emerit, Metropolitani, & Provincialium consilio, vel iudicio, saniori parit assensum, & auxilium præbeat: Electus autem Regalia per Sceptrum ab ipso recipiat. Ex aliis vero partibus Imperii, consecratus infra sex menses Regalia per Sceptrum ab ipso recipiat.

In hoc Concilio sunt etiam conditi Canones, juxta vulgatam Conciliorum Editionem 22. licet alii pauciores numerent. Hi Canones spectant disciplinam, & sacras Expeditiones promovendas in Oriente, & in Hispania, contra Christiani nominis hostes, renovatis indulgentiis ab Urbano II. concessis crucigeratis, seu iis, qui, cruce in

vestibus super scapulas assuta, opem Christianis contra Saracenos militando ferrent.

Concilium Lateranense II. Generale decimum.

Hoc Concilium, ab Innocentio II. convocatum, & celebratum ann. 1139. 1. occasione Schismatis Petri Leonis. 2. Contra errores Petrobrusianorum, & Arnaldi Brixiensis. 3. Pro restauranda disciplina Ecclesiastica. Circa primam causam. Imminentibus obitu Honorii II. conveniunt Cardinales, ut statim post ejus mortem in Ecclesia S. Marci Successorem eligerent; at merentes, ne, si mors Pontificis divulgaretur, factiones, & tumultus, ut in his occasionibus fieri solet, excitarentur, præsertim tunc commovente Arnaldo Brixiensi Monacho seditionissimo, ad S. Marcum accedere non ausi sunt; sed statim, majori numero congregati, elegerunt Innocentium II. cuius vita, & fama, ætas, & scientia digna summo Pontificatu habebatur, inquit Abbas Bonavallis l. 2. de vita S. Bernardi c. 1. Alii vero numero pauciores apud S. Marcum congregati elegerunt Petrum Leonis cognominatum, qui Anacletus II. dictus est. Hic, fretus Parentum, Affinium, & Amicorum potentia, & opibus, quas temporum direptione auxit, prævaluit in Urbe adversus Innocentium, qui ideò discedere, & in Galliam se recipere coactus est. Ilud ut verum Pontificem magnificentissimè excepit Ludovicus sextus, cognomento *Croesus*: illi paritè adhæserunt plura alia Regna, agente potissimum per litteras S. Bernardo; & collectis apud Gallos copiosis pecuniis subsidiariis, atque Lotharii Imperatoris exercitu adjuvato, Romam rediit, Schismaticos repressit, ita ut tandem, mortuo Petro Leone, & Victore ejus Successore dignitate cedente, ac misericordiam implorante, pax Ecclesiæ sit redita. Ad hujus ergo pacis confirmationem, & ad mala ex præterito schismate orta removenda, hoc Concilium celebratum est, in quo Acta Leonis fuerunt rescissa, & ejus ordinationes declarate irritæ; quod intelligendum est quoad locum honoris, & exercitium functionum, non quoad substantiam, & characterem Ordinis, ut explicatum est in Tract. de Ordine Dissert. 3. art. 2.

Errores Petri de Brusi, a quo Petrobrusiani, confixit Concilium; hos autem refert Petrus venerabilis Abbas Cluniacensis Ep. ad Archiepiscopos, Arelatensem, & Ebrendonensem: 1. Negabat, Baptismum prodesse parvulis. 2. Dicebat, templa non esse necessaria Christianis ad orandum, nulla debere extrui, extracta debere destri. 3. Cruces frangi præcipiebat. 4. Veritatem Sacrificii Missæ negabat. 5. Sacrificia, orationes, elemosinas pro Defunctis deridebat; easque nihil Defunctis prodesse affirmabat. Arnaldus Brixiensis, Petri Abelardi Discipulus, paritè in eodem Concilio damnatus, ut facilius imponeret, Brixie, & Romæ, assumpto monastico habitu, suos errores disseminabat. De Baptismo parvulorum, & de Eucharistia cum Petro de Brusi sentiebat; Reginis Ecclesiasticis auctoritatem ad Laicos revocabat; Episcopis, Clericis, & Monachis omnem bonorum proprietatem, & possessionem abrogabat; eis ea bona esse adimenda, prædicabat.

Canones etiam in hoc Concilio sunt editi, qui ut plurimum spectant disciplinam; numerantur 30. quorum decimus quintus celebris in Jure sic habet: *Si quis, anathematis diabolo, hujus sacrilegii reatum incurrit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat; & nullus Episcopus illum presumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat. Preceptum etiam, ut in eos, qui ad Ecclesiam, vel cæmetium confugerint, nullus omnino manum mittere audeat; quæ si fecerit, excommunicetur.*

Concilium Lateranense III. Generale undecimum.

Adriano III. vita functo, 17. Cardinales elegerunt in ejus Successorem Rolandum Ecclesiæ Romane Cancellarium, qui dictus est Alexander III. duo vero, aut tres tantum Cardinales elegerunt Octavianum Romanum, qui dici voluit Victor IV. Hujus partes suscepit Fredericus Imperator, & per viginti duos annos bellum in Italia gessit adversus Alexandrum III. sed tandem victus, & a majori parte suorum desertus, se ad pedes Alexandri projecit, & Excommunicationis absolutionem petiit, quam obtinuit. Alexander itaque, ut in postrium contra hujusmodi schismata de opportuno remedio provideret, hoc Concilium generale convocavit ann. 1179. cui adfuerunt 300. Episcopi, inter quos erant quidam Ori-